

DISSERTATIO FRIDERICIANA,
De
**HIS QUI DIU VI-
VUNT SINE ALI-
MENTO.**

quam
SUB PRÆSIDIO
WILHELMI HULDERICI
Baltschmiedts/

ACADEMIÆ PRO-RECTORIS,
Medicinæ Doct. ejusdem & Philos.

experimentalis Profess. Ordin.

Societatis Leopoldinæ S. R. I. Natur.

Curiosor. Collegæ,
publice respondendo
tuebitur

JOHANNES MICHAEL ECCARDUS,

Suinfurto - Francus.
ad diem 28. Martii
loco, horisque consuetis.

KILIÆ HOLSATORUM,
Literis Bartholdi Reutheri, Acad. Typogr. Anno 1711.

VII 31.

Physiol.
257,42.

DISSERTATIO FRIDERICIANA
D.
HIS QUOD
VULT SINE ALLI-
MENTO.

WILHELMI HUGO FRIDERICI
ACADEMIAE PRO-RECTORIS
MEDICINAE DOCTORIS
SOCIETATIS LEOPOLDINAE
ORDINARIUS

JOHANNES MICHAEL BOGARDUS
MAGISTER

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden



Animalia cuncta, suo egere alimen- *Omnia a-*
to, & ordinarie vix ac ne vix *nimalia sub-*
quidem sine illo diu subsistere *egent ali-*
posse, præter experientiam, re- *mento, nec*
rum magistram, ipsa docet ra- *diu absque*
tio: quippe, quum corpora eo- *illo subsiste-*
re possunt.

rundem in continuo fluxu sint constituta, fluidaque motu perenni per canales eant redeantque, momentisque singulis magnum amittant particularum numerum, quarum multæ nutritione absumuntur, aliæ sensibiliter excernuntur, plures in auras avolant, tanto omnino numero, ut testimonio Sanctorii in medicina statica, sola hæc insensilis transpiratio per cutem facta, si non superet, exæquet tamen evacuationes reliquas omnes; necessum utique est, ut illius, quod secessit restauratio continuo succedat, & debito alimento resarciatur, ni machina illa vitalis brevi collabi, planeque interire & emori prorsus debeat. Quemadmodum enim ignis absque pabulo subsistere nequit, ita cum corporibus animalium comparatum est, in his enim, nisi novum accedat nutrimentum, flammula vitalis brevi extinguitur, & mors, ultima linea rerum, vitæ finem imponit.

A 2

Dum

nonnulla
tamen pra-
aliis facili-
us & diuti-
us in ediam
ferunt, ut.
ursus,
Taxus,
ignavus,
chamaeleon

Dum vero alimenta non continue, sed certis intervallis assumuntur, illud notatu quã maxime est dignum, ratione temporis quo famem vel inedia terre possunt animalia, in diversis eorũ generibus, maximã observari diversitatem, ita ut alia longius jejunium ferant, satisque commode aliquandiu sine cibo vivant, alia citius deficient & enecentur. De urso refert Plinius, hist. natur. l. 8. c. 36. mares quadragenis diebus latere, foeminas quaternis mensibus; primis diebus bis septenis tam gravi somno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant; cibi tunc nulla argumenta, nec nisi humoris minimum in aluo inveniri: sanguinis exiguas circa corda tantum guttas, reliquo corpori nihil inesse. Taxo in hyemes pro cibo somnum esse, idem vult Plinius, l. 1. cap. 38. & de cane levi, per antiphrasin ita appellato, quem alii, propter gressus tarditatem, ignavum vocant, observat. Oviedus apud Clusium exort. l. 5. p. 112 c. 16. aluisse aliquando domi hoc animal, & quantum vel ipse, vel alii observare potuerint, nunquam ulla re vesci deprehendit, sed ex aere vivere aestimavit. Et cui quæso ignota est pervulgata illa de chamaeleone traditio, a Plinio l. 8. c. 33. confirmata, solum scilicet eum animalium nec cibo nec potu ali. Hæc tamen asserta ita interpretari, atque Plinii de urso, taxo & chamaeleone, Clusii vero de ignavo sententiam ita accipi velim, ut hæc animalia ordinarie quidem cibum expetant, eoque

eoque indigeant, posse tamē eadem aut solere vel
 statis temporibus, vel urgente etiam necessitate
 diutissime in edias perferre, & sine alimento vi-
 tam protrahere, quod de taxo verum est, quan-
 do teste Jonstano victum pro hyeme colligit,
 histor. natur. de quadruped. p. 102. cujus tamen
 partem magnam fomno oppressus, sine cibo
 transigit. Idem sentio de chamelæone, posse
 illum absque alimento vitam diutius continua-
 re, quod si sui juris sit, & escam in promptu
 habeat, eo quem Bellonius obs. l. 2. c. 24. descri-
 bit modo illam assumere: chamæleones, inquit,
 prædam capere cupientes, linguam semipeda-
 lem exserunt, in cuius extremo spongiosus qui-
 dam & glutinosus nodus est, quo insecta, ut
 locustas, erucas, muscasque capiunt & in os at-
 trahunt. Et eo magis in hanc inducor sententi-
 am, quando propria experientia, ab aliis anima-
 libus desumpta id ipsum me aliquoties edocuit.
 Alebat domi suæ focer meus Dn. Doctor Major,
 p. m. avem carnivoram rapacem, e vulturum
 genere, vel inter aquilas & vultures mediam,
 nostris ein *Goos Nar* dictam, & a Jonstano hist.
 natur. de avibus, c. 2. p. 8. vulturis leporarii no-
 mine descriptam & depictam, cujus figuræ vi-
 vum exemplar in ave hac cernere licebat, quan-
 do alis utrinque expansis, corpore & collo e-
 rectis, vel prædæ presenti & ante oculos positæ
 inhiabat, vel ad solis radios apricabatur. Animal
 erat voracissimum, cibus vix satiabile, atque gal-

antologia
ant

antologia

vultur le-
porarius,

antologia
antologia
antologia
antologia

Aquila marina

Corvus.

Ciconia.

Quamdiu homo sanus inediam communitur ferat.

præsertim exitiale, quippe illas incaute sibi appropinquantes, unguibus apprehendebat, vivas dilaniabat & devorabat. Quodsi nihil carniū recentium, neque mures vel pisces ipsi præbebantur, per quatuordecim sæpe dies sine cibo lætus vivebat, & quæ post jejunium hoc ipsi porrigebantur alimenta, alacriter & in magna copia devorabat. Idem de haliaëto, seu aquila marina observat Jonstonus l. c. p. 3. vixisse scilicet quendam earum, & quidem quietum, ad septimum sine cibo. Similem abstinentiam notaui in corvo quem domi alui; discurrebat per plures menses hinc inde, tandemque disparebat penitus: elapsis sex vel septem septimanis reperiebatur in cella, lignis condendis destinata, vivus, sed summe emaciatus, cui cutis vix ossibus hærebat: porrigebantur ipsi carnes crudæ, & avidissime illas devorabat, sed altero die jacebat mortuus, propter nimiam cibi deglutiti quantitatem, cui ferendæ ventriculus inedia diuturna coarctatus, quod post dissectionem apparebat, impar erat. Ciconias quoque per plures dies inedias ferre posse, frequenti experimento novi, adeo ut nullum amplius supersit dubium, posse animalia nonnulla ad tempus satis longum sine cibo vivere. Ipsum quoque hominem, animalium nobilissimum, inediam aliquandiu sine noxa quandoque tolerare certum est. De matrona Ephesina Petronius Satyric. p. m. 38. scribit: quintum

tum jam diem sine alimento trahebat. Et Bartholomæus Anulus in Picta Poesi, hominis meminit, cui in puteum collapsa terra de super irruit, qui incumbenti periculo, quod forte præsens habuit tabulatum, opposuit: sub quo reclinatus, & a cadente mole protectus, aeris & spiritus aliquantum retinuit, quo septem dies noctesque vixit, sine cibo & fomno, sola urina epota stomachum roborans. Videatur carmen elegans, quo tota historia describitur in observ. medicinal. Schenckii l. 2. p. m. 322. Hippocrates limites quamdiu homo alimento carere possit l. de carnibus, oper. edit. Foes. Sect. 3. p. 35. verbis sequentibus determinare videtur: plerique quidem ex his qui septem diebus nihil edere aut bibere volunt, in his moriuntur. Quemadmodum autem hæc sententia Hippocratis falso nititur præsupposito, circumscribi nempe vitam hominis septem dierum numero, & omnes mutationes homini accidentes, septenariis a natura regi: ita Plinius terminum illum fatalem ad diem usque undecimum extendit l. 11. h. n. c. 24. cui ego non sine ratione subscribo. Memini etiam hominem quendam ante quinquennium, undecimo ab illo tempore, quo cibi potusque nihil plane assumserat, obiisse: certusque sum, hominem sanum citra vitæ periculum vix ac ne vix quidem supra hunc terminum in ediam ferre posse; nam quæ rarissime contingunt, non debent loco regulæ allegari.

In

Ægrotantes sæpe diu sine cibo vivunt.

An etiam sani aut morbo nullo manifesto afflicti diu inedia ferre queant.

non nulli negant

alii affirmant.

Negantiũ præcipuus Velschius.

In statu præternaturali res se habent longe aliter, atque tum ipsis medicis, tum aliis factis notum est, ægrotantes per dies plures, imo septimanas sæpe nihil prorsus ciborum, potusque exiguam sæpe portionem, quæ corpori nutriendo plane est insufficientis, citra vitæ damnum assumere, atque ita longissime sine alimento vivere. Num vero alii, & qui sani esse videntur, vel morbo nullo adeo manifesto decumbunt, nihilominus tamen non solum in dies, sed menses, imo annos a cibo, quandoque etiam potu se abstinent, inediam hanc absque vitæ discrimine ferre possint? Res est altioris indaginis, quæ in diversas sententias medicos abripuit. Pro negantibus pugnat ipsa rei difficultas, si non impossibilitas, & fraudes hominum, ejus modi inedias multis de causis fingentium: Ab affirmantiũ partibus stant historiæ authorum fide maxime dignorum, testium oculatorum, quos falsitatis arguere esset omnem fidem historicam tollere, & novum Pyrrhonismum historiæ introducere. Neque enim ab ignorantia causæ, ad negationem effectus manifesti, licet argumentari.

Inter authores negantes, præcipuum locum occupat celeberrimus Velschius, Medicus Augustanus; hic Ephem. Nat. curios Dec. I. an. 3. obs. 35. omnes inedias falsitatis suspectas esse statuit, addita historia inediæ fictæ, atq; hac, paucisq; similibi reliquas omnes dubias reddi existimat. Ad rationes ejus quod attinet, præcipua nititur autoritate

Ari-

sol

Ariffot: de vita & morte cap. I. quod qui vivunt nu-
 triantur, & vice verfa qui non nutriuntur, nec vi-
 vere dici poffint. Cui aſſerto vel ſola hirundinum,
 muſcarumque, tempore hyberno latitantium, nec
 ulla vitæ ſigna edentium, revera tamen viven-
 tium exempla refragantur: quis enim vitam
 his denegabit, cum ad levem calorem ſeſe mo-
 veant iterum, & e ſomno quaſi revocatæ revivi-
 ſcant? neque interea dū quieſcunt vere & proprie
 nutriuntur, niſi quis circa vocabulum nutritionis
 litem movere & criticum agere velit. Unde ap-
 paret, canonem iſtum Ariſtotelis non eſſe uni-
 verſaliter verum, neque omne animal, deficiente
 cibo aut potu, vel ſuſpenſa ad tempus corporis
 nutritione, ſtatim emori, ut in ſequentibus pa-
 tebit. Redemanus potius in viam & ad hiſto-
 rias inedarum prodigioſarum, de quibus ego
 ita ſtatuendum eſſe exiſtimo, quaſdam earum
 eſſe fictas, quaſdam veras, atque has vel plane
 miraculoſas, vel ex cauſis naturalibus ortas.

*inductus
 authorita-
 te Ariſtote-
 lis.*

*que infir-
 mo ſtat
 calo.*

*inedia pro-
 digioſa a-
 lia ficta,
 alia vera.*

Exemplum aſitiæ fictæ, ex annalibus manu-
 ſcriptis Reipublicæ Auguſtanæ, enarrat antea lau-
 datus Velfchius l. c. cuj⁹ circumſtantias potiores,
 propriis Velfchii verbis adducam: Anna Lame-
 nittia, puella nubilis 18. annorum, ut ſanctita-
 tis ſpeciem ſibi conciliaret, tam mira arte inedi-
 am conſinxit, ut 16. annis integris ſine omni ci-
 bo vitam egiffe, apud omnes indubium habe-
 retur. Tanta illa apud omnes religionis fama
 fruebatur, ut Cæſar Maximilianus I. tum tem-

*Exemplum
 inedia fi-
 ctæ.*

B

poris

poris Augustæ commoratus, ipsam adire, & muneribus donare sit dignatus. Sed Chunegunda, soror Cæsaris, Monaci S. Virginum Præsul, postquam gravissimis rationibus inducta, percrebescens vulgi rumoribus diffidere coepisset, puellam ad se evocavit, advenientem benevole excepit, & in cubiculum deduxit, & unam ex S. Virginibus suis, cæteris prudentiorem, tanquam ministram adjunxit, quæ nunquam ab illa recederet: ancillam vero, quam illa adduxerat, sæpe specioso prætextu avocavit: interea per fenestram occultam, quid sola ageret, cum suis intente observavit. Mox enim suspicio enata erat, cibum illam capere, quod duos saccos integros, placentis, variisque partibus ovatis, pomis item pyrisque plenos secum attulisset. Hos saccos sub lecto recondiderat puella, & nullo, cum putaret, arbitro præsentem, fructibus laganisque affatim se explebat. Quatuordecim erant virgines S. quæ id sæpius cum Duce sua viderunt, quæ ideo, productis testibus, humanissime illam increpuit, impietatem deinde serio exprobrans, periculum animæ ostendit, si pergeret mendacii authorem spiritum pertinacibus imposturis in viscera sua advocare. Mox iterum silentium promisit, si modo fucum se hactenus hominibus fecisse, candide fateretur, atque deinceps perpetuo desisteret. Tum illa, novam ex tempore versutiam pectore agitavit, & tanquam gaudio in lacrimas effusa, credere, se

se

se dixit, non aliam ob causam hoc accidisse, quam quod S. Præfulis & Virginum suarum præcibus se quasi innovatam, & a priori dispositione liberatam sentiat. Sæpius enim olim a se tentatum cibus vesci, quos tamen semper revomere statim coacta fuerit. At quem nunc illa assumptum vidisset, omnino retinuisse, quod præteritis annis 16. nunquam evenerit: adsumpsisse autem, quia Dux ipsa, ut faceret, illam tantopere rogasset. Regessit præful: placere sibi, quod ingenuè cibum sumpsisse fateretur, quia nec diffiteri poterat, sed displicere, quod tam frivicule & absone cætera omnia commenta esset. Quorum enim, inquit, in mei gratiam tam occulte id faceres, cum in sororum omnium conspectu edere potuisses, & nostros quidem cibos, non tuos, clam apportatos, & sub culcitris aut grabbato reconditos. Tum subridens: jam satis, inquit convicta es, manūque arreptam, ad mensam deduxit & nunc quoque coenare jussit. Quod dum alacriter faceret, subinde tamen in facie notas sibi deprehendere visa est, quæ mentem illius tristitia & pudore aliquo, aut certe iracundia quadam perturbatam indicarent. Ne igitur vel mortem sibi ipsa conscisceret, vel aliud quid, S. loco indignum perpetraret, liberrime quidem, sed diligentissime in consortio suarum virginum custodiri voluit, literasque ad fratrem suum, Cæsarem Romanum dedit, quibus rem omnem, ut acta erat, significavit

ficavit anno clō MDXIII. ipsa die S. Gallo festa (quæ Octobris 16. est) scriptas.

*Ficta puella
Morsien-
sis absti-
nentia.*

Placet vero in exemplū fictæ inediae alterum quoque puellæ Morsienfis, a Hildano recensitum paucis repetere, legitur cent. 5. obs. 33. ubi p. 413. ita scribit. Deinde mediante Dn: Feldhusio puellam abstemiam quoque vidi, & quidem in ædibus ipsius Feldhusii, ubi illam ad se accerferi curaverat. Agebat tum temporis 37. annum ætatis, vixeratque in decimum sextum usq; annum sine ullo cibo & potu. Ab incunabulis valetudinaria & doloribus capitis perpetuo obnoxia fuit: anno vigesimo primo ætatis, cum ex morbo gravissimo convaluisset, paulatim ab omni cibo & potu abhorrere cœpit, ita, ut tandem intra unius anni spatium esculenta & potulenta omnia respueret, nec quicquam amplius assumeret. (Studio hic nonnulla de apparitionibus & aliis Enthufiasmum spirantibus omitto, cum ad rem præsentem nihil faciant:) pergit vero Hildanus: Est alioquin puella singulari pietate prædita, facie pallida, non ita carnosa ut fuit Apollonia Schreieria, sed extenuata. Venter versus spinam plane retractus erat, sine ulla duritie partium contentarum. Aures & nares mediocriter humidas habebat, & plerumq; lachrymas effundebat, urinam tamen nullam, neque excrementa ulla per inferiora, multo minus menses excernebat, uti nec sudorem. Retulit mihi Dn. Feldhusius (verbi Divini minister)

ster) se ipsam in duodecimum usque diem in
 ædibus suis retinuisse, ac interim summa qua fieri
 potuit diligentia observasse, an dolus ali-
 quis subesset: nullum tamen se percipere po-
 tuisse, sancte asseverabat. Parentes præterea
 cum per multos annos, antequam in
 morbum hunc prodigiosum incidisset, ab hac
 luce subtracti fuissent, domicilium quin etiam
 suum apud homines pios ac probos, & qui ex-
 tra suspicionem sunt haberet, nulla fraudis su-
 spicio subesse potuit, quam pluribus deinde
 p. 420. testimoniis virorum fide dignorum ad
 se scriptis removet, adductaque ad Dn. Brede-
 rodium epistola p. 421. se testem ocularem, vi-
 disse non solum Apolloniam Schreieriam, de
 cujus inedia scripserat obs. 85. cent. 3. p. m.
 266. sed hanc etiam Morfianam, Evam Flegen,
 petitq; ut autoritate qua polleret, per amicos
 suos, istis in locis degentes, expiscari velit, quid
 porro cum illa acciderit, quo historiam ejus ad
 aliquam perfectionem reducere posset. Sed
 certior tandem factus de fraude & dolo, confite-
 tur p. 42. deceptum se fuisse hac in re, atque ine-
 diam Apolloniæ Schreieriae etiam in dubium
 vocare, ipsamque & D. Paulum Lentulum (qui
 historiam integram descripsit) simul & se, mul-
 tosque alios fefellisse, nec non quamplurima
 quæ de hujusmodi inediis ab authoribus, quan-
 tumvis probatissimis, sparguntur, suspecta sibi
 esse dicit.

B 3

Cum

Cum igitur res hæc tantis cum circumstantiis acta, testimoniis virorum fide dignissimorum corroborata, & a quibus etiam per aliquot tempus custodita fuit sollicitè puella hæc abstemia, tandem tamen ficta falsaque comperta fuerit, certe prudentia opus & circumspècte agendum est, antequam tales historiae pro veris assumantur: neque tamen proinde plane rejiciendæ sunt omnes; tanta enim rei impossibilitas hic subesse non videtur, ut fidem omni historiae propterea denegare oporteat. Superpetunt sane exempla tam antiqua quàm recentiora, a nemine hæcten⁹ falsitatis convicta, quæ inter illud præsertim attendi meretur, quod Joannes Langius epistol. medic. l. 2. epist. 27. his prope modum verbis recenset: anno 1542. dum Ferdinandus Romanorum Rex ad comitia Spiræ indicta advenisset, fama de trienniali puellæ inedia, quæ in pago Rodt a Spira duo millaria distante nata, passim increbuerat: quæ dum primum capitis dolore, ventrisque torminibus affligeretur, nec quicquam anilia muliercularum medicamenta conferrent, cœpi plus cibum quam potum fastidire, doloreque nervorum, in brachiis & cruribus robur relaxari, quod edocta ab anu quadam, radicum & herbarum decocti fomentatione fertur recuperasse, sed una cibi potusque omne desiderium amisisse: quam inediam cum ultra biennium sustinisset, nihil excrementorum nec per alvum nec per vesicam.

*Exempla
alia in quibus
nihil
fraudis appa-
ruit.*

vesicam excrevit: ad nomen tamen matris & suorum, absens affatim illachrymabat. Pituitæ mucos per nares abunde evacuabat, nec suæ auribus sordes deerant. Rex itaque, ejusque a consiliis Proceres, tam diuturni omnis alimonæ fastidii admiratione commoti, veriti quoque ne quid fraudis (ut olim in Augusta Vindelicorum urbe) subesset, illustrissimus inquam Rex Ferdinandus puellulam, nullius sibi fraudis consciam, Spiram accersitam, novis indutâ vestibus, medico suo & alteri cuidam suorum a cubiculis, viris spectatæ fidei, nocturno diurnoque tempore in eorum ædibus observandam dedit. Verum quum nihil fraudis in ea deprehenderetur, cuncta quoque dictis corresponderent, Rex, pro sua clementia & liberalitate puellæ misertus, eam virgineo mundo decoratam, parentibus reddidit. Quam vidimus & nos, duodecim annos natam, ob exhaustas jejunio vires desidem & somnolentam, venter compressior. Sed quod admiratione non caret, crura velut tabe infumpta, gracilia erant, quum aliis diuturnam inediâ passis, præcipue ex febre longa crassescant, aut saltem tumore inflentur. Hæc Langius: Huc quoque pertinet historia puellæ provinciæ *Puelle provinciæ Derbiensis in Anglia.* Derbiensis in Anglia, a Henrico Sampsonio, Medico Londinensi ephem. Nat. curios. Dec. I. ann. 3. obs. 173. communicata: Martha Tailer, ab ictu sibi in dorsum a molendinario inflictio, lecto diu affixa est, unde parum convaluit, sed post

Puelle provinciæ Derbiensis in Anglia.

post paucos dies iterū recidivam passa, sentit in gula deglutiendi difficultatem, & una prostratū appetitum, adeo ut a festis Natalitiis, mens: Dec. 1667 abstinere desierit ab omni cibo solido, uti & pedetentim ab omnibus liquidis, nisi quod rarissime paucae guttae juris prunorum coctorum, vel aquae saccharatae, vel succus unius uvae passae instillentur cum pluma in os. Tredecim menses elapsi sunt ab omnimoda hac abstinentia inchoata. Nihil evacuat per urinam, alvum vel os, labra sicca cum pluma praedicta madesiunt. Volae manus saepe madidae reperiuntur, vultus satis floridus, vox sonora. Abdomen ad ipsam spinam concidit, quae manupalpatur, non obstantibus musculis & intestinis, jam aridis mediantibus (forte intermediis). Cavitas est insignis a cartilagine ensiformi ad umbilicum. Pars trunci superior valde emaciatur, sed inferior longe magis, raro dormit, sorores dicunt, illam quinque septimanas egisse insomnes: curiosi multi, medici, chirugi, aliique integras noctes, per vices huic negotio invigilarunt, ut si forte fraus aliqua ab ipsa vel amicis facta fuerit, detegeretur: Nullus hic est religionis praetextus, nullus enthusiasmus.

Acta eruditorum Lipsiensium anni 1688. mens. Junio p. 330. similem recensent casum, excerptum e literis Dn. Boisoti, Abbatis S. Vincentii, ad Dn. Nicasium Abbatem & Canonicum Divionensem scriptis, quarum summa haec est: ante quatuor
annos

annos Palleti, virginem 26. aut 30. annorum, cui nomen Jaqueline Nicolet, ab equis currum foeno onustum trahentibus prostratā fuisse & currū super dorsum transvectum livorem inflixisse ad undecimam vertebam. Puella mox multum cruoris vomuit, idque per plures dies continuavit. Deinde febre correpta fuit, insignibus comitata doloribus, quos hodiernum per totum corpus sentit, speciatim circa stomachum, dorsum & verticem capitis. Sinistrum brachium imperfecta paralyti affectum est, appetitu ciborum omnino destituitur, & si vel maxime ejus quid haberet, vix possibile ei foret quicquam deglutire, dum ingens obstaculum lentit in orificio oesophagi. Nunquam fere dormit, & a quatuor annis non comedit ad summum plus, quam sesquilibram panis aliusve cibi, cum pauxillo sacchari, quo obductæ fuerant 15. aut 20. grana anisi, nec bibit, nisi duos circiter aquæ cyatos. A 35. abhinc septimanis omnino nil quicquam nec bibit nec manducavit, adest febriculæ aliquid, pulsus inæqualis, debilis & frequens, color sat bonus, lingua nec sicca nec humida, carnes satis solidæ, molles ac pingues, nulla omnino excrementa ejicit, nec per alvum, nec per viam urinæ, cæterum sæpius leves sudores experitur, & a morbi initio semper cursus ordinatus mensium nec per inediam, nec per defectum somni, nec per febrem fuit interruptus. Non deerunt, scribit, qui de facti veritate

C

ritate

ritate ambigent; at qui de ea dubitabunt, ipsi-
met hac de re certiores se facere poterunt.
Puella enim in vivis est, nec ita propere adhuc
videtur moritura. Haud ignoro, sæpius rela-
tiones esse factas de certis personis, sine assum-
pto cibo vivere creditis, at inquisitione profun-
diori a peritis instituta, non nisi fraudes & men-
dacia plerumque detecta fuisse. Nil vero ho-
rum hic suspicari datur. Misera hæc puella
per dolores, quos patitur continuos, tam pa-
rum vitæ commodis fruitur, ut indifferens ad-
modum ei sit, credaturne quid comedere nec
ne. Nil etiam ad parentem ejus redundat ex
fama invaletudinis hujusce, nec apparet, quid
mentiri hic domesticos juvaret.

*Alia histo-
ria a Schen-
ckio allega-
ta.*

Nec defunt historiae aliæ fide dignæ: præ-
terquam enim quod Schenckius l. c. libr. 3. de
asitis 6656. varia exempla ex authoribus pro-
batæ fidei recenseat, atque ex Foresto aliam
historiam puellæ, per undecim annos nullo ali-
o cibo quam casei Stolckii momento, sine ullo
potu, viventis; & Camerarii observatione de vidua
per multos annos nullo alio victu, quam cerevisia
cum saccharo, itemque feniculo cum aceto se su-
stentante, addat, nostris quoque temporibus exem-
pla inediæ aliquot annorum contigerunt. Scili-
cet medicus Ducatus Scaniæ ordinarius, D. Joh.
Jacobus Dobelius epistolam de puella Scanica,
asitia laborante, ad experientissimum D. Leo-
poldum, Medicum Lubecensem perscripsit, novis
litera-

*Asitia puel-
la Scanica.*

3787

literariis Germaniæ, mensi Aprili 1709. insertam, cujus contenta, ut p. 171. sq. leguntur, huc liceat transferre. Anno 1708. d. 18. jan. in pago quodam Norre Oby, tribus milliaribus Malmogia distante, ad puellam aliquam rusticam, nomine Estheram, febricula continua decumbentem, proficiscebar. Parentibus illa sanis progenita, integris etiam viribus in flore ætatis prædita, nullum senserat affectum naturæ inimicum, donec in limine anni vigesimi, cum pallida cœperat conflictari feбри, non multo post tamen, aspirante Deo, superata. Tantum autem inimicus iste affectus effecerat, ut ab hoc tempore puella dicta, senescentibus indies corporis viribus, perpetua cephalalgia atque stomachi doloribus exagitaretur, quid, quod tantam in utroque poplite sentiret imbecillitatem, ut facultate loco motiva, ac sic pedum auxilio orbata, decumbere prorsus cogeretur. Hac igitur imbecillitate non solum indies crescente, sed etiam tendinibus se contrahentibus, fiebat, ut uterque pes versus dextrum latus, & fere sub eam corporis partem, quæ verecunda dicitur attraheretur. Fons, insuper ille, qui singulis mensibus hunc sexum a corruptione vindicat, hætenus ad naturæ leges optime temperatus, sensim exarescere & exsicari cœpit, id quod & ægrota, exacto duorum aut trium mensium spatio experiebatur. Et licet nonnunquam aliquid sanguinis e collo at-

que naribus profueret, paulatim tamen tumultuantes hæ naturæ tempestates in subitam convertebantur anorexiam. Postquam enim puella hæc cachectica per integrum fere annum, hoc modo, cum tam variis & periculosis admodum naturæ affectibus conflictata erat, accidit, ut quicquid appetitus aut desiderii cibi capiendi erat reliquum, prorsus extingueretur, siquidem ultima vice, & quadriennio ab hinc, qua missam ab alicujus Presbyteri uxore placentam, ab illo autem tempore ne atomum quidem cibi aut potus cepit, nisi quod aliquando olim, non autem diutius quam imminente festo paschatis 1707. os frigida eluere consuevit, jam autem resurgente ab undis sole, tertia aut quarta die, tantum sirupi subnigri percipit, quantum quis extremitate pennæ ex amphora depromere possit. Linguam quod spectat, & os & dentes, naturali quidem illæ partes præditæ sunt vigore, sed lingua cum labiis aliquantum ad candidum accedunt colorem, nec os ad illam amplitudinem amplius dilatari potest, ut collum inspiciatur. Idcirco de angustia colli admodum, quotiescunque sirupi non nihil sumit suspirans, maxima laborat difficultate in ventriculum illud demittendi. Sputi nihil, e naribus autem aliquid humidi me præsentem emisit, cum ob refrigerationem gravedinem aliquam & siccam reportasset tussim. Dolorum stomachi atque vomitus plane nescia, non-

nonnunquam motus aliquos diaphragmatis & ructus edit. Abdomen autem tantum detrimenti passum est, ut ne a lynceo quidem possit agnosci, umbilico ad spinam dorsi, superiori autem stomachi regione ad os pubis retracta. Nihil per alvum, præter paucam, candidam & granulorum forma materiam excernit, quanquam rarissime, & vix semel singulis mensibus, quam ab exigua illa sirupi assumptione proficisci existimo. Humido autem omnino nullo, nisi lachrymis ex oculis post deliquium fluentibus, irrigatur. Ipsa fatetur se aliquoties parvo aestuasse sudore, quem sine dubio continua illa febris expulit, quæ cum infinitis deliquiis, nocte dieque redeuntibus conjuncta est. Imprimis autem illud præ reliquis circumstantiis admiratione dignum videtur, quod per tot annos sine alimento ad vitam conservandam alias necessario vivere potuerit, quod ipsum extra omnem dubitationis aleam est positum. Præterea in universa corporis compage nullum atrophie aut ariduræ signum conspicitur, nisi quod ungues cum manifesta laminæ tenuitate nonnihil decreverint. Facies ipsa florem valetudinis præ se fert jucundissimum, caput insuper nigris ornatum capillis, hoc insigni gaudet privilegio, quod etsi nunquam pectine purgetur, mundum tamen semper existat. Missa forma exteriori ad interiora si respicias, profecto quam pie, quam sobrie ad interrogata respondeat, dici nequit.

A deliquio revocata, perhibet, se tempore istius eclipseos in albo versari templo; de vaticiniis atque explicatione S. Scripturæ, qua de re maxima passim increbuit fama, ne *yeu* quidem audivi. Hæc ex literis Cl. Dœbelii, Malmogiæ 3. Aug. 1708. scriptis, relata, l. c. mens. Julio anni ejusdem, p. 300. literis a Johanne Johanson, pastore loci ubi puella degit, ad Præpositum M. Johann. Bagge perscriptis, ulterius confirmantur, quamvis aliqua in quibusdam inter has literas subesse videatur differentia, quæ tamen, cum in præcipuis & potioribus sibi conveniant, tanto minus dubitationi de veritate rei locum relinquunt: summa capita relationis a pastore factæ, hæc sunt: 1. misera illa puella, Esthera Joannis nata est 25. annos, ægrota per 5. annos decubuit, contracta jacens supina, inferioribus partibus ad dextram magis inclinans: (2) initio morbi per os & nares magnam sanguinis copiam ejecit (3) Per tres annos cum dimidio nec assumsit, nec assumere potuit cibi vel potus tantum, quantum sufficit semel esurienti infanti. (4) Intra spatium 24. horarum deliquium patitur plus centies, ut instar mortuæ jaceat. (5) In hoc deliquio videtur versari in summa delectatione, accipit, ut dicit solatium, quod omnem dolorem & calamitatem adimit. (6) pedum manuumque ungues non crescunt, sed molles sunt instar unguium infantis recens nati: neque immundi fiunt ejus
crines

crines; (7) quam primum ingruunt tenebræ, ipsi clara in hypocausto apparet lux. Præter binas illas relationes tertiam possideo, in omnibus fere cum his convenientem; attulit eam secū ex Scania illustrissimus quidam Comes, qui & puellā vidit & depictam ejus effigiem in perpetuam rei, maxime insolitæ memoriam servat, cujus vel folius testimonio veritas historiæ confirmatur. Labet vero ex hac relatione pauca annotare, in literis istis aut prætermissa, aut postmodum demum supervenientia; scilicet, vixit adhuc puella abstemia die 27. Julii 1709. Jacet tanquam exanimata, nisi quod interdum oculos aperiat, atque de Deo, rebusque divinis loquatur, nunquam vero de fame conquertur. Morbus qui primo illam afflixit, e febrium intermittentium classe fuisse dicitur, liberata tamen ab illo penitus, per integrum annum satis bene habuit, donec ab itinere Malmogiensi reduci, in via videretur, quasi frustum glaciei frigidissimum dorso allapsū esset, unde frigus istud per omnia membra se diffudit, prostratis insigniter viribus, ut ab illo tempore lecto semper affixa hæserit. Accessit crurum contractura, ut pedes versus sinistrum, genua vero versus dextrum latus sub corp^o coacta, supinum in lecto decubitus nunc plane impediunt, hinc in lecto federe illam, & dorsum circumvoluto linteo sustentari, ob summam debilitatem oportet. Ex ore ejus nulla humiditas seu saliva prodit, nares vero emunctæ aliquid pituitæ

tuitæ dimittunt. Conqueritur hoc tempore de capitis dolore, hic enim ventriculi dolori, quo antea excruciabatur, successit. Oesophagus angustissimus ipsi apparet, instar tubi cepæ (wie eine Zwiebel Röhre); hinc quando S. Synaxi utitur, necessum est, ut Pastor panem in micæ minutissimas confractum, aliquot vini guttis madefaciat, & ori ejus cum cochleari infundat: propter eandem colli angustiam, non nisi difficulter & voce submissa loquitur, sermoque ejus non nisi ab his, qui attente auscultant intelligi potest. Syncope vel animi deliquio sæpe affigitur, & quando ita quasi obdormiscit, nec respiratio nec motus ullus observari queunt, solo excepto pulsu, cujus vestigia, satis tamen debilia, remanent. Quando ad se redit, strepitus quidam in dorso observatur, atque illum a redeunte respiratione produci dicit. Ungues in manibus & pedibus sensim attenuantur & decrescunt, atque interiora versus inflectuntur & contrahuntur. Hæc sunt quæ de inedia puellæ Scanicæ, hoc ipso adhuc tempore forte viventis, ex relatione physici Provincialis Dn. Dœbelii, & pastoris loci, tum aliorum fide dignissimorum & oculatorum testium, paulo prolixius referre libuit, ne ulli de veritate historiæ dubium quoddam hæere possit. Addere etiam placet exemplum puellæ rusticæ Holsatæ, in pago Sulfelt, Generosi Domini a Buchwaldt, hæreditarii in Bostel ditioni subjecto, cujus in literis

literis Hamburgo 14. Aprilis 1704. ad me scri-
 ptis, vir, mihi dum viveret amicissimus, & lon-
 giore vita dignus, Dn. Doctor Gothofredus
 Walter, p. m. meminuit, his verbis: Vidi nuper
 Sulfeldæ puellam rusticam 25. annorum, quæ
 per annum integrum, nec cibum nec potum af-
 sumpsit, neque etiam alvum deposuit; nihilomi-
 nus pulsus satis naturalis, sed tamen debilis ap-
 parebat. Fraudis aliquid hic subesse, quamvis
 diligentissime in omnes circumstantias inquisi-
 verim, nullo mihi indicio constare potuit, atque
 illam omnem hic abesse tanto credo facilius,
 quanto certior sum factus, nullum vel jusculum
 vel cibum alium, quemadmodum puellæ paren-
 tibus concesserat Nobilissima Domina, ex aula
 unquam peti. Nec deglutire potest tantillum
 potus, etiamsi vel maxime vellet, quod si illud
 tentare aggreditur, maxima vi illum cum san-
 guine iterum evomit. Urinam totam fere san-
 guinolentam, quantitate tamen exigua, subinde
 excernit. Patitur sæpius gravissimos motus con-
 vulsivos: interim, non obstante hac, ab omni ci-
 bo & potu per annum integrum continuata ab-
 stinentia, habitus corporis satis bonus est, nul-
 laque atrophia observatur. Huc usque relatio
 D. Waltheri, de cujus veritate deinde ab aliis
 tam nobilibus quam ignobilibus, quique pu-
 ellam ipsi viderunt, magis confirmatus sum, in-
 notuitque porrò, continuasse hanc asitiam per
 annos sex & ultra, tandemque ante paucas se-

D

ptima

ptimanas ab ipso Domino a Buchwald, 'cujus ditioni subdita est hæc puella, inaudivi, illam adhuc in vivis esse, & sensim ac sensim juscula liquidiora, in exigua quantitate iterum deglutire, ita ut de plenaria ejus restitutione, spes multa nunc affulgeat. Neque de veritate rei hujus quemquam dubitare velim, cui vel solius Generosi Domini testimonium pondus addit, & præterea quoque tot testium adhuc viventium, quorum plures, si opus esset, nominare possem, confirmatio accedit.

*Negantiū
argumenta
potissima
examinan-
tur.*

*I. ab humi-
di radicalis
continua
per calorē
consumpti-
one.*

Sed satis historiarum exemplorumque, videndum nunc etiam est, an impossibilitatem, quam nonnulli fingunt, ab iis removere, atque in ediarum insolitarum causas invenire queamus ut de τῶ ὄτι simul & de τὸ διότι certo constet. Quantum ad prius attinet, puto me in antecedentibus p. 8. animalium, in edias diuferentium exemplis probasse, tale jejunium non esse prorsus impossibile, adeoque nec in totum negari debere omnes illas observationes, quæ hinc inde de asitis sunt annotatæ. Videamus autem negantium argumenta, & inter illa præcipuum, ab humidi radicalis continua consumptione, per calorem nativum facta, quod sui restitutionem necessario requirit, nisi œconomia animalis plane collabi, & vita extinguere debeat, petitum; hoc respectu ipse Aristoteles vitæ & nutritionis necessitatem I. de vita & morte, conjunxit. Videtur tamen ipse Aristoteles, sui oblitus, vitam deinde

deinde quibusdam concedere, absente nutritio-
 ne, quando 8. hist. anim. c. 17. de urso fatetur:
 verum esse, illum tempore sui latibuli nihil e-
 dere; quippe, quod neque exeat, & captus ven-
 tre intestinoque inani videatur. Idem in plan-
 tis observatur: scilicet tempore hyberno nutri-
 tio in illis suspenditur, earundemque semina,
 quamvis non nutriantur, per aliquot sæpe an-
 nos non emoriuntur. Quantum vero ad re-
 stauracionem humidi radicalis, per nutrimen-
 tum factam attinet, ne a prædominante calido
 innato, quemadmodum a flamma oleum, ab-
 sumatur, nolo quidem impræsentiarum calidum
 innatum humidumque radicale, cum plerisque
 recentiorum nunc in dubium vocare, legantur
 interim quæ de hac materia habet parens p. m.
 Joh. Jac. Waldschmidius, institut. medic. part. 1. c.
 3. §. 18. Hoc tamen urgebo, prædominari in a-
 nimalibus istis, quæ diu sine alimento vi-
 vunt, humidum & frigidum, & calorem ipso-
 rum satis depressum, nequicquam vires su-
 as posse exserere, unde nec ulla istius, quod a si-
 bi contrario non consumitur, requiritur re-
 stauratio: sicut enim Galeni testimonio, 10. m. m.
 c. 5. calidis ac siccis naturis adversissima res est
 inedia, ita hæc a frigidis ferri potest.

Nec semper etiam locum habet alia negantiū
 exceptio, vixisse nempe asitas sine cibo, non au-
 tem sine omni potu, aut aliis alimentis liquidis,
 quibus vim nutritivā, quamvis forte remissio-
 rem quam in solidioribus, nemo in totum denegabit;

*2. asitas vi-
 xisse sine ci-
 bo non vero
 sine potu.*

ut vero hoc de quibusdam verum est, de puella sc. Anglica p. 16. de vidua illa p. 18. præced. ita in aliis plenariam tam a cibo quam potu abstinentiam fuisse observatam, docet puella Spirensis p. 14. puella Gallica p. 17. Scanica p. 20. & Holsata p. 25. Adeo, ut nec hic ulla elabendi occasio detur. Neque porro etiam a statu naturali, in quo omnes corporis humores, ipsique spiritus continuo & naturali agitantur & moventur motu, unde partes plurimæ, motu hoc exagitatae avolant, aliæ hinc inde variis, oeconomiæ animalis negotiis impenduntur, & sui per nutritionem requirunt restaurationem; ad statum maxime præter naturalem, qualis in astitis revera adest, & in quo illa omnia tardius peraguntur, aut plane cessant, argumētari licet. Nec illud etiam contra nos aliquid evincit, quod multi post inedias aliquot dierum, aut in furorem acti, aut viribus deficientibus mortui fuerint: quorum illud de Britanno, post undecim dierum famem in rabiem verso recenset Tulpius l. 1. obs. 43. hoc vero morte sua confirmavit virgo apud Craanium, Tr. de homine, p. 223. Imaginata hæc sibi fuerat, & per imaginariam revelationem certa erat facta, sola & diligenti lectione verbi divini sese sufficienter posse ali; perseveravit per tres aut quatuor dies in hac opinione, & nihil alimenti assumpserat, interea amici suis persuasionibus tollere hanc falsam imaginationem conabantur, sed nihil quicquam perficiebant, cumque per duodecim dies nul-

lum

3. a statu naturali ad p. n. male argumētatur.

4. ut & ab uno indivi duo ad alia omnia.

lum plane alimentum assumpsisset, tandem die decimo tertio vitam cum morte commutavit. Sicut enim hominū unus præ altero facilius fert dolores, aut morbos quoscunque alios, labores etiam & motus vehementiores, neque etiam ex eadem causa in subjectis diversis idem sequitur effectus; ita quoque circa hanc diversitatem censendum esse existimo, imo cum Galen^o 8. m. m. c. 3. ita sentio: alias esse naturas, quibus aut nihil, aut non magnopere incommodat tot dierū inedia.

Quod porro a nonnullis urgetur, omnes ejusmodi inedias in mulierculis aut puellis, nunquam in viris fuisse observatas, illud non tam contra, quam pro nobis videtur militare. Licet enim sexus ille sequior astutiam amet, speque vel lucri, aut simulatæ sanctimoniam er- go, aut quacunque demum de causa inediam mentiri possit, inde tamen non evincitur, quod semper fraus aliqua subsit, quoties in sexu muliebri talis observatur abstinentia: præsertim, cum etiam in viris tale quid contigisse ex Schenckio l. c. & ex historia infra recensenda, apparet. Ratio vero cur in fœminis sæpius observetur quam in viris, a diversitate temperamentorum dependet, ita ut mulieres plerumque frigidioris sint constitutionis quam viri. conf: Galen: l. 2. de temperam: c. 4.

Postquam igitur præcipua negantium argumenta, talo maxime infirmo stare, nec omnem cunctis abstinentiæ insolitæ historiis fi-

D 3

dem

5. nec ob-
stat, quod
plerumque
in fœminis
tales in-
edia obser-
ventur.

*nullus hic
de inediis
miraculo-
sis sermo
est.*

*sed de his,
quæ ex causis
naturalibus oriun-
tur.*

*Quid sit
appetitus?*

dem, dubiam reddere ostensum est, & tanto nunc certius de veritate quarundam observati-
onum constat, in causas quoque insoliti ejus-
modi affectus nunc eo diligentius erit inqui-
rendum, quo profundius hæ sunt abditæ, &
difficilius eruuntur. Nolim quippe statim ad
miracula confugere, ubi causæ naturales sup-
petunt, præsertim, cum sciamus, Deum, non
nisi causis admodum prægnantibus miracula
edere, & nostris diebus hæc non esse adeo fre-
quentia, quemadmodum Mosis, Eliæ & Salva-
toris nostri temporibus fuerunt. Neque de je-
juniis hisce miraculosis sermo nobis est, quarum
causas soli Deo cognitæ esse existimo, utpote,
quæ nullis naturæ viribus, nulla motus lege
producuntur. Sed de illis saltem asitiis, quæ
ex causis naturalibus deduci possunt, hic actu-
ri sumus. Necessum autem erit, ut, prius-
quam ad investigationem causarum, effectus
adeo insoliti accedamus, aliqua de appetitu &
fame, ut & de nutritione, ejusdemque usu ex
physiologicis præmittamus, ita enim ex statu na-
turali in præternaturalem feliciter inquirere po-
terimus.

Appetitus vocabulum latius quam famis
patet, & quandoque pro omni naturali inclina-
tione, animatorum potissimum, ad sui conser-
vationem, sumitur; stricte vero significat de-
siderium ad alimenta, cibum nempe & potum:
vel rectius, commotio aut perceptio ad cibum
&

& potum, a vellicatione orificii ventriculi superioris & faucium orta. Adeo, ut ipse appetitus cibi & potus, quatenus perceptionem, ab organo corporeo in anima productam significat, recte dicatur sensus, & quidem externus, siquidem ratio eius formalis in eo consistit, ut fiat perceptione motuum, ab objectorum, praesentium quidem, sed extra cerebrum positorum impressionibus prodeuntium. Oritur autem *unde oritur fames* fames, quando ventriculus cibi & chylo vacuus, plane concidit, lateraque ejus se invicem attingunt, & quasi fricant, simulque alimentorum reliquiae cum fermento ventriculi, particulis pinguibus & oleosis deficientibus, acidiores & acriores fiunt, & orificium superius ventriculi, nerveum valde, vellicant, pugunt, unde tam in ipso ventriculo, quam succo nerveo motio quaedam excitatur, quam, ad cerebrum tractam, desiderium capiendorum ciborum, seu ipsa fames consequitur. Est, autem ut communi dicitur proverbio, fames complurium artium magistra, & hospes effrons, importune tributum exigens, nullas moras concedens, nec nisi alimentis placari potis. Quare Graeci olim famem virgis & furcis expellebant, & in hac famis expiatione clamabant; ἔξω βῆλιμον, ἔσω πλῆτον καὶ ὑγιείαν; foras famem, intro divitias & sanitatem! bene enim intelligebant, quam dira lues sit fames, & quam triste mortalibus, quando:
 Pabula laeta Ceres, gravidasq; abolevit a ristas,
 Teque

Teque iterū ad dulces fagos, glandesq; coegit,
 Priscis muneribus privata, & honore vetusto.
 Alterum in alterius convertet corpus & ipsos
 Natos.

Sitis quid? Sitis est sensus humidi in sanguine deficientis,
 & eadem propemodum, qua fames, ratione o-
 ritur, præterquam quod aliud agnoscat orga-
 num, ipsas nempe fauces & palatum. Quando
 os incipit exsiccari, quemadmodum vel pro-
 pter humidi in sanguine penuriam, vel propter
 glandularum & ductuum salivalium obstructio-
 nem fieri solet, ex ariditate tunicæ illius, par-
 tes oris interiores succingentis, nerveæ admo-
 dum, oritur irritatio, qua necessariæ humidi
 restitutionis, seu sitis admonemur. Et adeo
 quidem necessaria est hæc humidi restitutio, ut
 homo facilius aut diutius famem ferat, quam
 sitim, imo hæc magis illum affligat quam ista.
 Apparet vero ex famis & sitis sensibus, immen-
 sa Dei erga nos benignitas, qui ad nostri con-
 servationem nobis hisce adeo clementer prospe-
 xit, ut deficientium in corpore partium rorida-
 rum, pinguium & humidarum, verbo :
 indigentiaæ cibi & potus in tempore admo-
 neamur, memoresque reddamur refectionis
 & nutritionis corporis, de qua nunc etiam quæ-
 dam sunt præmonenda.

Quid sit nutritio? Nutritionem, renovatam singulis momentis
 generationem vocat Charleton, exerc. I. oecon.
 anim: §. 2. restituit enim loco deperditæ, no-
 vam

vam materiam, ejusdem cum priori generis. Restituitur forte definitur per actionem naturalem, qua illud, quod antea deperditum est, reparatur. Scilicet dupliciter consideranda venit hæc reparatio, vel quatenus in humoribus & spiritibus, vel solidis seu partibus, illius quod secessit, restitutio contingit. Utrumque fit per alimenta, cibum nempe & potum; præbent enim materiam nutritioni aptam, chylum seu substantiam pinguem, oleosam, lacti similem, in ventriculo ex alimentis extractam. Chylus sanguini confusus, defectum partium pinguium & nutritiarum non solum compensat, sed materiam insuper præbet spiritibus, & partibus nutriendis atque resarciendis, & illum potissimum in finem motu circulatorio per universum corpus cum latice purpureo distribuitur. In cerebro igitur separantur ab eo spiritus, subtilissima nempe & in volatile quasi redacta chyli pars; in partibus vero solidis secernuntur aut deponuntur, ubi opus est, pulsibus singulis, propter ipsam arteriarum figuram, particulam nutritivam & interstitia seu spatiola vel poros vacuos subingrediuntur, moramque hic trahentes, tandem assimulantur, & quicquid a nutritione reliquum, aut huic præstandæ minus est aptum, sub forma crystallini laticis, vehiculi ipsius nutrimenti, per lymphatica vascula versus cor, communem sanguinis alveum motu retrogrado fertur, ipsique iterum infunditur. Tali ratione, per continuam

E

parti-

partium appositionem corpus nutritur, augetur, pinguescit, quin & deficiente nutritione, aut resolutis partibus antea apposis, contabescit, senescit & demum plane emoritur.

His prælibatis, facilius erit in abstinentiarum prodigiosarum causas, inquisitio: Atque has vel in deglutiendi vitio, vel appetitus defectu, aut firmo abstinentiæ proposito, vel denique in peculiari constitutione p.n. humorum, & habitus totius corporis, quærendas esse existimo, quarum singulas nunc ordine examinare lubet. Non enim facile quisquam mihi persuaserit, aliam vel ex æere, aut exhalationibus æeri permixtis, aut undecunque demum petitam materiam, licet extraordinariam, tamen nutritioni aptam hic subesse, cum in corpore affecto potius illa querenda sit. Et quidem deglutiendi vitium primam sæpe diuturnæ abstinentiæ occasionem præbuisse, exemplo puellæ Derbientis & Holsatæ patet, in quibus deglutiendi quædam impotentia, aut plenaria impossibilitas fuit observata. Oritur autem hæc ex causis diversis, externa, nempe contusione, vulnere; vel interna resolutione seu paralyti musculorum faucium ipsiusque oesophagi, cujus rei exemplum legi potest apud Tulpium l. i. obs. 42. Deinde angustatione nimia harum partium, a tumore vel excresecientia producta: prioris, scilicet tumoris, deglutionem impediens exemplum observatur in synanchi, & aliis faucium tumoribus, vid.

vid. Tulpium obs, 44. l. c. Aut excrecente in ipso
 oesophago caruncula, vel carne fungosa, obser-
 vante cl. Hoffmanno, notis ad Poterium p. m. 52.
 Sive ab arcta nimis clausura & strictura fibrarum,
 seu spasmō, quod in hystericis & hypochondri-
 acis observatur. Quoniam vero ægri his de-
 glutiendi vitiis laborantes, nisi præsentanea ac-
 cedat medela, intra paucos dies plerumque mo-
 riuntur, hæc quidem deglutiendi difficultates pro-
 prie huc pertinere non videntur, nihilominus
 tamen cum recentissimum Nobilissimæ matro-
 næ exemplum, & nos & alios docuerit, posse
 ex hac causa, alimenti assumptionem ita impedi-
 ri, ut superstitite licet per annos aliquot ægra,
 sæpe intra plures dies nihil, quandoque vero,
 sed raro, jusculi liquidioris parum assumatur,
 cum summa ægræ emaciatione, merito etiam
 hanc inter causas diuturnæ inediæ trahendam
 esse existimavi. Accedit etiam hoc, quod per
 diuturnam inediā via alimentorum, gula,
 ventriculus, intestina plane contrahantur, quem-
 admodum de oesophago puellæ Scanicæ supra,
 p. 24. relatum est: successu enim temporis
 canales & ductus corporis nostri, per quos vel
 nihil vel raro aliquid fertur, aut angustantur
 aut plane clauduntur.

*deglutiendi
 difficultas
 causa potest
 esse inediæ
 diuturnæ.*

Alteram abstinentiæ causam dico esse appe-
 titus defectum, quando nempe vellicatio ista in
 ventriculo, quæ proxima est famis causa, aut
 plane deficit, aut a mente non attenditur. De-

*item defe-
 ctus appeti-
 tus.*

ficit plane, propter fermenti absentiam, ejusve visciditatem, lentorem & inertiam, vel propter sensus orificii superioris abolitionem & depravationem, quale quid ex paralyfi, aut nervorum octavi paris consensu in aliis affectibus observatur; ve ex stupore orificio ventriculi, ipsisque spiritibus a narcoticis introducto, qualia sunt opium & opiata, ipsum etiam tabacum, ut Indorum experimento, militum quoque nostratum quotidiana praxi constat. Notatu digna est descriptio remedii, cujus ad cohibendam famem & sitim apud Indos, per deserta peregrinantes, insignis est usus; legitur apud Monardem, simplic. medic. histor. c. 14. p. m. 309. his verbis: Indi conchyliam quædam cochlearum fluviatilium urunt, deinde atterunt, calcis modo, hujus & foliorum tabaci æquas partes sumunt, manduntque, donec ex utrisque massa quædam fiat, quam in pilulas, pisco majores formant, atque ita in umbra siccatas in usum reponunt. Facturi iter per deserta, ubi neque cibum neque potum inventuros se putant, harum pilularum, secum delatarum unam, inter labrum inferius & dentes reponentes, ejus liquorem assidue sorbent, qua absumpta, aliam reponunt, atque item aliam, donec peregrinationem triduanam interdum aut quatruiduanam absolvant: istaque ratione toto illo tempore neque famem sibi molestam esse, neque sitim asserunt.

Vel.

Vellicationem vero in ventriculo factam mens non addendit in deliriis. Huc etiam referuntur graviora animi pathemata, mœror, aut terror ex tristi nuncio, subito & ex improviseo accepto, subortus, quin & magni dolores, quibus motus spirituum animalium immutatur, & quasi conturbatur, ut non recipiant motus a vellicatione in orificio ventriculi superiori impressos, neque illos ad cerebrum vel sensorium commune deferant. Ipsius etiam imaginationis viribus ad appetitum plane suspendendum, & abstinentiam diuturnam producendam, aliquid esse tribuendum, sequens docebit historia: Vivebat illo tempore, quo studiorum causa Lugduni in Batavis hærebam, in nosocomio homo, quadraginta circiter annorum, habitus macilentus & strigosi, facie pallida, de quo Dn. Hermannus, celebris botanicus & medicinæ Professor, cui tunc inspectio ægrotorum competebat, testabatur, illum ante annos aliquot imaginatum sibi fuisse, se esse Christum, atque hac persuasione deceptum, imitatum fuisse exemplum Salvatoris nostri, per quadraginta dies jejunantis, totoq; hoc tempore ne minimum quidem cibi sumpsisse, nec ad illum sumendum vel precibus vel minis adigi potuisse. Interea sæpius tabaci fumum per fistulam hausit, & aquæ non nihil quamvis rarius, bibit. Superavit tamen istam inediam, quamvis summe debilis & emaciatus, & in nosocomium receptus, medicorum con-

huc pertinet vires imaginationis.

filio servatus est: hoc enim illi, qui ægrotanti-
um curam gerunt, edocti, juscula liquidiora,
in exigua prius, deinde vero majori quantitate,
& successive deinde cibos non adeo solidos par-
ce ipsi præbuerunt, donec iterum ad pristinum
redierit ingenium, ventriculusque sensim dila-
tatus, cibos iterum ferre potuerit.

*ipsaque vo-
luntas.*

Quemadmodum vero imaginatio abstin-
tiam modo dictam produxit, ita ipsa quoque vo-
luntas hominis per hanc quandoque determi-
natur, ut omnem cibum & potum respuat. Fui
equidem semper in ea opinione, hominem sa-
num, & in quo appetitum abesse nullis indicis
constat, non posse evitare alimentorum assum-
ptionem, si nempe illa in promptu habeat, eti-
amsi vel maxime vellet. Aliud tamen & con-
trarium me edocuit triste exemplum, quod an-
te paucos annos hic loci contigit, & in recenti
omnium adhuc memoria procul dubio versatur.
Vir literatus & honestus, ætatis consistentis, ex
moerore quodam incidit in delirium melancho-
licum, ita ut de vitæ subsidiis impofterum haud
suffecturis, desperaret, atque sensim ac sensim
cibos parcius assumeret, cum tamen alias men-
te satis constaret, nec in cæteris ejus actionibus
aliquid inconcinni, aut quod ullam mentis ab-
errationem ostenderet, ab initio appareret.
Successu vero temporis cibum & potum
omnem repudiavit, ut ab undecimo die
nihil quicquam assumerit, nec ullis precibus
ad

ad capiendum vel cibum vel potum vel medicamentum adigi potuerit. Interea nec alvum deposuit, nec urinam reddidit. Status erat admodum miserabilis, lingua, fauces & labia siccitate summa exasperata erant, ut asserem potius rigidum, quam hominis viventis partem exhiberent, potulenta tamen oblata respuebat, & si cum cochleari, illius, etiam inviti, ori quicquam eorum admovebatur, labia & dentes firmissime claudebat, & cochleare manibus apprehensum violenter removebat. Illud notatu dignum erat, quod circa pulsum observabam: satis erat naturalis, primis plenariæ abstinentiæ diebus, sed sensim, & indies quidem fiebat debilior, æqualis tamen, sed simul rarus: ipso autem die emortuali, 6. Aprilis, anni 1706. tempore matutino, nullum amplius pulsum animadvertēbam, nec incedere etiam amplius poterat æger, sed lecto infidebat, atq; externis quantum possibile erat, refocillabatur, donec circa decimam vespertinam, collabescentibus in horas viribus, placide quasi obdormiendo ad plures abiret. Apparet igitur hoc exemplo, vera esse quæ habet Zwingerus, medicus Basiliensis, in epistola ad Paulum Lentulum, medicum Bernensem perscripta, & obs. chirurgic. Hildani, cent. 5. inserta, ubi p. 417. hæc verba leguntur: Quum autem princeps fruitionis & abstinentiæ effectrix sit voluntas humana, licet ea, ut dictum est, ab urgente & impellente fame dependeat, quandoque tamen vel suo arbitrio

trio, vel alimentorum quæditorum defectu, naturam urgentem non audit, nec jussibus illius obsecundat. Tum vero periculum injicitur sanitati, vigor spirituum debilitatur, calidum nativum imminuitur, ut si perstiterit obstinata voluntas, mors comes sequatur.

hæc tamen omnes non sufficiunt explicandis diuturnioribus inediis.

Posse appetitum ex quacunq; causa abolitum, imaginationem quoque & voluntatem, aut firmum & immutabile propositum nihil assumendi longiores abstinentias producere, satis ut existimo probatum est; illud autem diffiteri non possum, solere tales, & ex modo memoratis causis productas inedi- as, plerumque lethales esse, mortemque vel tarde vel celeriter post se trahere, adeo ut vix sufficiant ad explicandas diuturniores astitias. Hoc interim certum est, primam sæpe originem malo huic ab iisdem præberi, quando ex quacumque causa, sive interna & in corpore genita, sive externa & foris superveniente, appetitus aboletur, ut natura gradatim quasi ab alimentis abducatur, iisdemque desuescat, quemadmodum supra p. 15. in puella Anglica, jex ictu molendinarii in dorsum, deglutiendi difficultatem & appetitum prostratum plenariam astitiam præcessisse observavimus. Idem in puella Gallica p. 17. notatum est, cui ab equis prostratæ, currus fœno onustus læsionem ad undecimam vertebram inflixit, unde deinde ingens in gula deglutiendi obstaculum accessit, subsequente omnimoda abstinentia. Præterea a morbis quibusdam chroni-

chroni-

chronicis. febris item, præsertim autem cachexia evenisse, ostendunt exempla puellæ Spirenensis p. 14. & Scanicæ p. 19. allegata.

Ad veram tandem & genuinam stupendarum inedarum causam quod attinet, sciendum est, varias circa eam occurrere medicorum sententias, atque earundem nonnullas in antecedentibus fuisse commemoratas. Joh. Langius Archiater Palatinus, medicus doctus l. 2, epist. medic. 27. pluribus hanc materiam & erudite tractat, mentemque suam in compendium redactam, circa finem, p. m. 614. his verbis aperit: Constat ex prædictis, corpora sexus fœminei frigidioris esse quam masculorum temperaturæ: ob id pituita & adipe referta, & obcœsiora, inediam, quam Græci ἀσιτία dicunt, facilius diutiusque ferre posse: præcipue si effœtas caloris ingeniti vires, & spiritus vitalis robur, salubris aeris inspiratio & odor refecerint: ac iis pituita, concocti sanguinis rudimentum, & adeps, ut oleum in lampade ellychnio, alimentum & tomentum suppeditaverint. Fortunius Licetus integrum tractatum de his, quæ diu vivunt sine alimento, edidit, quem tamen nunquam mihi videre licuit, refert vero Sennertus Prax. l. 2. sect. 2. c. 2. p. m. 524. quod in eo probandum suscipiat, in talibus omnibus, qui diu sine alimento vixerunt, nutritionem corporis cessasse. Addit l. c. p. 525. idem Sennertus propriam hac de re opinionem, causam nempe diuturnæ abstinentiæ statuendam esse,

*Circa veram
inediarum
causam dis-
sensus me-
dicorum.
Langii.*

Liceti.

Sennerti

F

humo-

Aliorum.

humoris, qui corpus nostrum conservat, eam dispositionem, ut a calore nostro absorbi non possit. Alii aere victitasse aut nutritas esse illas abstemias censuerunt, quos inter est Marcellus Donatus medic. histor. mirab. l. 4. c. 12. p. 371. & Quercetanus indiæt. polyhistor. c. 3: quemadmodum de astomis tradit Plinius l. 7. cap. 2. totam eorum gentem sine ore, corpore toto hirtam, vestiri in India frondium lanugine, halitu tantum viventem, & odore quem naribus trahunt: nullam illis cibum nullumque potum, tantum radicum florumque varios odores.

Conciliari facile possunt istæ opiniones.

Sed linquamus has fabulas, videamus potius quid de causis hisce astitiæ censendum sit: ubi notari velim, conciliari posse facile differentiam illam, quæ inter opiniones jam modo allatas primo apparet. Langii sententia de temperamento abstemiarum frigido & pituitoso, cum opinione Sennerti, de humoribus, qui corpus nostrum conservant ea dispositione, ut a calore absorbi non possit coincidit: nempe requiritur ad hoc constitutio frigida & humida, quod Galenus testatur in Hipp. l. de victu acut. comm. 2. § 30. Non assuetam autem cibi abstinentiam, inquit, facilius omnino ferunt qui parte superiori pituitosi sunt. Nec ipsius Liceti assertum his contrarium est, cessante quippe nutritione, necessum est ut nihil nec humoribus, nec spiritibus nec partibus decedat, alias vita nequit continuari.

Totum autem negotium œconomia animalis

nimalis in astitis istis diuturnioribus sequen-
 tem in modum absolvi videtur. Primo appe-
 titus ex quacunque causa demum id fiat, sen-
 sim imminuitur, tandemque in totum abole-
 tur, unde nihil ciborum aut potus assumi-
 tur, vel propter averfionem vel deglutiendi
 difficultatem; chylicatio in ventriculo, propter
 alimentorum defectum cessat penitus; partes, e-
 laborationi & distributioni chyli destinatae col-
 labuntur, & in earundem glandulis nulla
 fit secretio. Deinde succedit sanguinis & hu-
 morum a sanguine dependentium corruptio:
 lentorem etenim & visciditatem contrahunt,
 propter defectum partium chylosarum & aquo-
 sarum, a cibo & potu alias suppeditandarum,
 & motus sanguinis tam intestinus, quam pro-
 gressivus seu circularis, mirum in modum
 retardatur, ipsaque adeo spirituum animalium
 secretio lente procedit, & spiritus viscidiores, &
 ad motum minus apti evadunt. Verbo: sangui-
 nis ipsius principia, & consequenter humores
 & spiritus a sanguine dependentes, tantam con-
 trahunt visciditatem, ut lento cæmento a disso-
 lutine totali facile cohibeantur. Accedit tam
 secretionum quam excretionum cessatio, neque
 enim alvum deponunt, nec urinam aut sudo-
 rem excernunt, ut exemplis adductis patet; Cu-
 jus equidem rei ratio facile ex imminutione mo-
 tus sanguinis deducitur. Motu ejus circulato-
 rio secretiones in visceribus & glandulis promo-
 ventur, & quo citius atque alacrius ille absolvi-
 tur

*Vera absti-
 nentiarum
 causa.*

tur, eo felicius fecernenda fecernuntur, & vel u-
 fibus privatis corporis nostri impenduntur, aut
 excernuntur: quando autem sanguis movetur
 tardius, simulque visciditatem contraxit, lenti-
 us etiam ad organa secretoria defertur, & pro-
 pter sui crassitiem exilissimos eorundem canales
 subire nequit. Motus vero sanguinis intestinus
 visciditati conjunctus, vim ejus expansivam im-
 minuit æquilibriū humores inter & ærem corpus
 ambientem tollitur, spiracula concidunt, & tam
 insensibilis quam sensibilis corporis perspiratio
 imminuitur, ut etiam per has partes, corpori vel
 parum vel nihil decedat. Quamvis enim cor-
 pora abstemiorum sua habeant spiracula, illa ta-
 men ob aëris ambientis pressionem clausa, nihil
 admittunt; vel propter humorum lentorem & vi-
 sciditatem nihil tubulos istos angustissimos subit,
 adeoque nulla quoque fit excretio. Et dum corpo-
 ri nihil vel parum decedit. ipsa etiam nutritio a-
 liquandiu sine vitæ periculo cessare potest. Illud
 tamen diffiteri nolo, nutriri interea ut plurimum
 corpus, nutritione occulta, ope vel adipis, vel feri,
 utcunque particulis pinguibus adhuc referti, quæ
 tamen nutritio vix sufficiens est, & in extrema-
 tibus plane deficit, ut ungues decrecentes, ali-
 aque indicia sufficienter evincunt.

TANTUM.

